



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

Plurimis iudicijs & legibus mortis terrorem Deum mundo iniecisse, quo  
peccata puniret et extirparet. Colloq. XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)



duobus malis minimum sibi elargitus fuerit, seque in angustum potius quam in vastum illum ac spatiosum carcerem compegerit. Quanto ergo melius diuini iudicij vir conditionem vallis huius miseriarum agnouit, quam mundi illi affectu, terræ aulici, & carceris obidi similitudine Augiæ stabuli inquilini?

*Plurimis iudicijs & legibus mortuæ terrorem Deum mundo iniecit, quo peccata puniret & extirparet.*

## COLLOQUIVM XXIX.

THEO.

**V**IDEAMVS nunc quomodo eadem diuina prouidentia virga hac vfa fuerit, vt effrenes illos mundi inquilinos coherceret, inque officio contineret: dum sepe numero morte non committit aut vulgari, sed violenta, sed prodigiosa in facinorosos animaduertit, quò extraordinaria eos poena afficiens, extraordinario mortuæ terrore ad quidlibet aut facinorosum



dum aut patiendum proiectos à peccatis criminibusque grauissimis abstineret. Ideo enim vastam & immanem illã aquarum conflugem & cataclysmum in Biblijs decantatum mundo perduto & profligato immisit, quo singularem & æternum generi humano mortis ac vitiorum terrorem iniiceret: hanc etiam ob causam Pentapolim Sodomorum & Gomorrhæorum cælitus delapso igne cremavit ac expiauit: Eapropter mari vt Pharaonem & populum illius inuolueret, exercitumque numerosissimum absorberet præcepit: terræ vt faucibus diductis & hiato aperto ambitiosa & rebellia illa nomina Dathan, Core, & Abiron cū ipsi tabernaculis ac omnibus bonis deuoraret: Serpentibus vt murmurantes & helluones vita priuarent, pro qua iauè sustentanda tantum turbarũ dederant, & iustitiam diuinam irritarant. Iam cū leges populo Hebræorum perferret planè sibi etiam faciendum putauit, vt mortis comminationibus eas stabiliret, & à nefarijs earum transgressoribus

*Diuini  
iudicium  
uniuer-  
sale.*

*Gen. 7.*

*17.*

*Gen. 29.*

*23.*

*Exod. 13.*

*23.*

*Num. 16.*

*31. 32. 33.*

*Num. 2.*

*17.*

*Exod. 11.*

*12. 14. 15.*

*18.*

*Leu. 29.*

*9. 24. 17.*



*Ab. 1. 3.  
7.*

*Experiē-  
tia docet  
mortis  
meditati  
one pecca-  
ta cohi-  
beri.*

inviolatas conseruaret: cumq; iam  
etiā lege gratiæ post S. Spiritus mis-  
sionem promulgata populum Chri-  
stianum in libertatem liberali manu  
vindicauiſſet, annon etiam hoc re-  
medio Ecclesiam suam confirmare  
voluit, quando Ananiam cum vxo-  
re morte subitanea castigauit? De-  
nique si omnia mundi sæcula, si tem-  
porum ætates, orbis angulos, popu-  
los, Respub. & Magistratus vniuer-  
sos intuearis, reperturus es vbiuis  
non leuiter huius timoris impressa  
vestigia, sed ad æternam posterita-  
tis memoriam altissimè defixa, quo  
peccata eliderentur, & flagitiosi à  
mandatorum ac scitorum suorum  
violatione cohiberentur. Etsi ipsa  
experientia præclarè etiam nos do-  
ceat, quam potens hoc frenum sit ad  
omnibus flagitijs cursum ac impetu  
inhibendum: vides enim planè ijs in  
locis vbi iustitia accuratè admini-  
stratur, fontes & scelerati morte è  
medio tolluntur, florere virtutes,  
flagitia autem quam longissimè de-  
pulsæ exulare: è contra verò vbi ti-  
mor iste hominum animis insitus

non



non est, omnia pessum ire, & in quolibet flagitiorū genere vnūquemq; volutari. Itaq; si illud etiam humanae leges mortis comminationibus consequuntur, vt improbilissimorum hominum audaciam infringant, ab ijs violandis eos abstineant, ad officium suum præstandum compellāt: quanto omninò magis ac iustius sanctū hoc mortem meditādi institutū, apud Christianos valere tantum debet, vt non modo manus & pedes, sed animos etiam ijs cohibeat, ne vllomodo in præscripta legum diuinarum impingant? Nam scita illa quæ ab hominibus perferuntur, tanti reuera nō sunt, vt omnibus illa timorem istiusmodi iniiciant, cū non modo Principes & Monarchæ impunè ea violent, & veluti maiores vespæ ac crabrones araneorum telas perrumpant, sed optimates etiam sed opulentiores, siquid contra ea admissum est, continuò id pecunia soluant ac expient, at plebei quoque astu ea elabātur. Idcirco mortis isthæc consideratio non nisi in certo hominum genere obtinet, ea autē

*Magnates impunè leges violant.*



que à Christianis frequentari debet, quam planissimè tibi persuade, istiusmodi est, ut tibi demonstret mortem omnibus omninò rebus interitum adferre, æquare sceptraligonibus, & inter funera rationem non habere: quodque nemo in vasto hoc mundi teatro reperitur eam qui effugiat, aut propter opes, potestatem, gratiamque euitet, aut astu aliquo modo declinet: quod tempus ad viuendum concessum breuissimum sit, hora egressus ut incerta ita semper præsens: quod ea ianua sit per quã immediatè celeste illud & rigidum consistorium ingredimur, sententiam capitalem aut verò salutarem de nostris actionibus, dictis, & cogitatis excepturi: quodque demum eodem in iudicio qui præsidebit ipsa potentia sit contra rebelles, ipsa iustitia contra facinorosos, puritas contra libidinosos, sapientia contra insensatos, pietas contra incredulos, doctrina contra peruersos: quodque in hoc iudicio & paradisus bonorũ & infernus malorum vertit. Hæc denique  
 medi-

*Rigidum  
 iudiciũ  
 post mortem.*



meditatio conscientiam multò fortius quam humanae leges constringit, hominemque non nisi cū tremore & remorsu peccato se obstringere facit & contaminare: itaque dum per hanc quilibet se iam nunc in hoc mūdo cum patre Adam morti temporali videt esse adiudicaturā, nisi prorsus sensus cōmunis expers est, studiosè prouidet ne aeternae quoque morti adiudicetur. Reus quispiam qui iam iam extremo supplicio multandus est, nisi omninò grauissimo letargo ac animae veterno opprimatur, serio operam illud dat, vt conscientiam peccatorum scrupulis & sarcina liberet, & quantum fieri potest studiossimè vsque ad ipsam supplicij locum morti imminenti accingitur ac praeparatur. Iam autē nemo admodum est, qui nō manifestè sententiā illā definitiuā sibi inscriptam reperiāt, se ex materno utero hanc condemnationem collo appensam mūdo inferre, & quolibet tempore, quolibet loco, de medio posse sustolli: mortemque ipsam latronē Lunaticam esse, quae nullo discrimine

*simile d  
reo.*



*Mors la-  
tro lanna-  
tica.  
Simile.*

mine horarum aut locorum supplicia sua à mortalibus exigat, iustitiamque in humanum genus exequatur. Et quemadmodum in causis criminalibus videmus, nonnullos tempore aliquo post condemnationem elapso ad supplicium educi, & plerumque horis diei diuersis: nonnullos etiã ipso in facto, sicut excussores militares, infelici arbori appendi: Ita etiam humano generi in hoc mundo aduenire videmus: quod cũ olim à supremo iudice in Adamo condemnatũ sit, hinc illud est quod nonnulli sub vesperam senectutis, nonnulli in meridie adolescentia, alij sub diei initium vt iuuenes & impuberes, & plerique etiam eo ipso tempore quo esse suũ acceperũt, & in ventre matris vitam hauserũt, in sepulchrum deferantur, morte afficiantur, & lucis communis sũra priuẽtur. Sunt ergo iustitiã illius executores, aqua, ignis, aer, terra, bestia, homines, angeli, & omnes creaturæ, nulla omninò excepta ac immuni. Illud verò vt admirabile prorsus est, ita accuratè memoriæ nostræ

*Nullus  
hominũ  
diem in-  
tegrum  
vixit.*



nostræ & animis omnium infigendum est: nam quemadmodum ita ferè in causis criminalibus fieri amat, ut reus eodem die quo condemnationis sententiam excepit, morte afficiatur; ita sicut præclare S. Iustus Martyr & D. Irenæus aduertit, nullus omninò hominum secundum Dei Calèdarium integrum diem vixit, post mortis sententiam in protoplastum Adamū perlatam. Mille anni quemadmodum Apostolus cū S. Dauide ait, annum vnum coram Deo constitunt, itaque hanc interpretationem secuti neminem omninò reperire possumus qui ad hanc ætatem pertigerit. Itaq; ipse Adam postquam fructum vetitum comedisset, mortuus est antequam dies efflueret, sicut ei Deus fuerat comminatus: nam annos 930. vixit, plures affecutus non est. Mathusalem verò etsi longiorem ætatem duxerit, non-gentesimum & sexagesimum nonum attigerit, millesimum tanè nõ aspexit: nostra autem tempestate qui plurimum & pedibus valuerit, & peregrinando obiuerunt, ad cen-

*Iust. in  
Triph. S.*

*Irenæus*

*l. 5. cõtra*

*Hares.*

*2. Pet. 8.*

*Pf. 89. 4.*

*Gen. 2.*

*27.*



*Mortis  
medita-  
tio exci-  
tatorium  
est.*

tesimum vsque annum decurrunt:  
abijcientes ceterum scipionem suū,  
& hospitium sub magnæ Falcis  
interfignio ingredienti; vbi hospita-  
tam præter morem aliarum argil-  
laciā inueniunt, quæ tametsi ni-  
hil eis ad manducandum apponat,  
symbolum tamen sibi solui vult nõ  
crumena sed pelle. Quod ergo nos  
excitatorium certius lumus habitu-  
ri? quam buccinam clarius resonā-  
tem & immugientem? quam im-  
pressionē & conclamationem terri-  
biliorem, quam egressus r̄tius me-  
ditationem? iudicij consideratio-  
nem, noctis contemplationem;  
quo à graui veterno si ei immerfi-  
sumus excitemur, aut si vigilamus,  
in eum saltem non incidamus? Si  
reus quispiam seeleris sibi consci-  
us timore percellitur, & ante mor-  
tem suam iam animo linquitur ac  
moritur, quoties iudicis sui po-  
tentiam, scientiam, & æquitatem  
cogitat, quid nobis faciendum est qui  
confestim à morte ei nos præsentā-  
dos scimus, qui non ipsa tantum sed  
iufinita etiam iustitia est, qui omnes  
iuris



iuris apices numeravit, omnesque  
 quam accuratissime servari vult?  
 qui euncta nostra peccata aspicit,  
 eaque punire vult? qui sententias  
 perfert & exequi scit? qui infinite  
 sanctus, infinite iustus, infiniteque po-  
 tens est? Quam studiosè rerū nostra-  
 rum obsecro satagere debemus, &  
 attendere num aliquid nobis adhæ-  
 rescat, propter quod eterna ignomi-  
 nia affici valeamus? quam diligen-  
 ter, quam sedulo sapientum consilia  
 exploranda sunt, testimonia ac titu-  
 li locupletes cōquirendi, quam an-  
 xiè omnes modi circumspiciendi,  
 quibus hunc iudicem facilem red-  
 dere queamus & misericordem?  
 Quid ergo cunctamur? quid agimus?  
 quid cogitamus? ubi intellectus, ubi  
 prudentia nostra est, si hæc non in-  
 telligimus, si gratia, si virtuti-  
 bus, si iure non instrui-  
 mur?

*Mor.*